linguarum et in scientiam dicendi omne studium
meum conferrem, maturo demum beneque subacto
ingenio, lingua et stilo, ad Theologiae studium in ali-
quam liberam Academiam transiturusque; interea si com-
modum est nihil obstat, quo minus rudimenta quaedam
Juris attingere satagas, quae vel inprimis et augent
judicium et eloquentiam alunt. Sed desino ineptire.
Filio Dei, quod possum (exiguum id quidem est) non desi-
nam tua studia commendare, tu fac vicissim nos
adjuves in magnis semper et nunc sane in maximis
angustiis luctantes. Florentium hortare, ut ma-
neat in timore Dei, ne pietatis initia, quibus inculcandis
non mediocriter laboravimus, excuti sibi suapte socor-
diâ vel Diaboli astutiâ patiatur. Si cognovistis patrem
nostrum coelestem in filio ejus Jesu Christo, estis for-
tes in illo. Maneat verbum ejus in vobis, facile vince-
tis quaecunque ad honesta Deoque placentia enitentibus
obsistunt. Valete, nam me quamvis invitum dome-
sticarum rerum tumultus à scribendo abducit. Caetera
quae ad me attinent, ex Lamberto cognoscetis. Valete
14 Sept: 1559. Vetus hospes et amicus

Johannes Molanus

(85.)

[= Manuscr. a. 7, Nr. 46]

D. Gerardo Mercatori

Pax Christi.

Quum sim isthuc venturus propediem, hoc nunc solatii
habeo, quod in scribendis literis non necesse habeo meam
operam abuti. Gerarde frater nunquam putavi vel
abs te à D. Gualtero violata nostrae necessitudinis
jura. Quis enim privati hominis gratiam nescit publi-
cis commodis sine injuria posthaberi posse? Sed ego
de meis angustiis apud vos humanissimos viros, meique
quod scio amantissimos, prolixe quidem sed tamen in-
fra verum conquestus id agebam ut tempestiviter
quum meo pudori: tum etiam honori scholae vestrae

consulcretur, nunc quum tot annis precibus vobis pro-
bitum vestra sponte benevolis nihil persuaserim.
Si Rhetor is demum est, qui persuadet dicendo, ex ip-
sa re convincor, quod eam artem nondum didicerim,
quam debeo profiteri. Sed haec hactenus. Dominus
est, quem harum turbarum moderatorem expecto.
Is me per vos astrinxit, ne diffugere possem ipsius
authoritatem, orate mecum, ut aliqua ipsi grata fiant.
Hodiè 7. puerulos depuli, largius collachrymantes, pauci
non sunt reliqui, ut videar in viduitatem de integro in-
cidisse, valdè optarim ex vobis dari aliquem spectatorem
mihi mearum miseriarum: Sed desino. Dominus etiam his
malis finem dabit, quae scribis de Duisburg. hospitalitate,
tum etiam de aequitate D. Geldorpii non nihil me re-
focillant, quae de nostris insidiis acerbiora sunt, quam ut
ausim meminisse, quantum ad temporis articulum attinet,
quem venerandus Senatus vester à me requirit, difficile
sit praecisè respondere, tum propter impedimenta familiae
tum quia unde argentum expecto procrastinatores
sunt, nec ad diem solvunt, ut cunque res tamen cadat spero per
auxilium Servatoris me circiter Martini affuturum.
Tibi autem mitto per hunc nuncium daleros ix, ut sine
sumptu quidem tuo, sed cum aliqua molestia cures primum
ut repurgentur aedes, quas inhabitabo, solent inquilini abe-
untes sordidatum locum relinquere, deinde ut ligna in
hijemem quam longa reperiantur, parùm mihi super-
est sanguinis, tum autem ut vaporarium sit solidum,
obstructis omnibus rimis, praeterea ut parata sint stra-
da 3. vel quatuor, sella, scamna, mensa, tripes, et his simi-
lia, quibus tua prudens conjunx intelliget in primis opus
esse. Postremò siquid in aedibus aut convulsum aut rete-
ctum, ut ante adventum nostrum fiat sartum tectum.
Multas amoenitates istius regionis mihi commonstrasti.

sed ego nihil amoenius duco commoda et eleganti habitati-
one, si quid aptius mihi et paucis familiaribus nancisci pos-
ses: mallem Cornelii domum alii locari, quia vasta est
admodum et per flabilis, nec alio nomine commenda-
ri potest, quam quod bonum habeat virum. Si cum hirundini-
bus isthuc me transferre licuisset, nemo meorum dimit-
teretur, accessisset enim materfamilias, cui puerorum cu-
ra committi tutius potuerat, quam mihi viro imperito
rerum domesticarum, sub ipsam brumam praecipita-
ter fugienti: itaque paucos mecum traham eosque adhuc
admodum indoctos. Sarcinas nondum coepi colligere. Ha-
ctenus enim manentibus pueris necesse fuit supellecti-
lem in procinctu esse, nisi Deus secundos offerentes
ventos dederit, quomodo poterunt forsitan ante
hybernam glaciem hinc Amsterodamum, indeque isthuc
transmitti. Non redeo ad querelas mi frater, sed
apud te et tuam uxorem hospites meos mihi vi-
am sterno, ad impetrandum in aedibus vestris locum
commorandi, si forte recalcitrantibus ante
novum ver componere nidum non possim. Habebam
plura, quae scriberem, sed per turbas non possum, et
haec ipsa confuse a me et inconcinne congesta sunt,
apud honorandum Senatum et praecipue apud D. Syl-
terum Gimmnium rogo ut sis mihi epistolae vice, bene
vale. Pridie Michaelis 1559. Breme.

Vobis obnoxius et amicus
Johannes Molanus.

[28. IX. 1559]